



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Opera Mystica V. Ac Mystici Doctoris F. Ioannis A Crvce
Primi Religiosi Discalceati Ordinis B. V. M. De Monte
Carmelo Et Seraphicæ Virginis Theresiæ fidelissimi
coadiutoris**

Juan <de la Cruz>

Coloniæ Agrippinæ, 1639

§. III. Habitum Ordinis Carmelitarum induit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37873

COMPENDIUM VITÆ

Vix Xenodochium ingressus in altum puteum cecidit, clamoribus eorum qui cadentem viderant, exciti plures, conuolarunt, & quem rebantur submersum, aquis supernatantem conspiciunt non minori candore animi quam læticia asserentem, vlnis Beatis. Virginis in ipso casu se exceptum, ab eaque, ne mergeretur, sustentari atq; ita cum omnium admiratione incolumis extractus fuit. Hoc eodem loco Grammaticæ, Rhetoricæ, ac Philosophiæ operam dedit, maximo profectu, præcipuè vero orationis studium, ad reliqua pietatis exercitia adhibuit, quæ tanto fuerunt in Ioanne frequentiora, quanto cumulatiùs indices diuinam lucem ac Dei beneficia recipiebat. Accidit vt cum aliquando enixe à Deo peteret dirigi in viam virtutis, hæc in intimo animæ recessu vocem audierit: *Religioni antiquæ nomen dabis, & pristinam illius perfectionem suscitabis*; exinde ardens eum desiderium incessit, huius status profitendi, quamuis, quænam hæc esset Religio, aut quo eam tempore esset ingressurus, penitus ignoraret.

§. III.

Habitum Ordinis Carmelitarum induit.

An. 1560. **S**Vbhoc tempus Religiosi Carmelitæ Merinæ Conuentum sui Ordinis erexere, quos vt vidit noster Ioannes, Propheticæ illius Illustrationis innoationem persensit, vnaque Religiosi status profitendi efficax desiderium. nec mora: monasterium recenter erectum ingreditur, probationis annum insigni seruore auspicator & complet. Post nuncupata solemnè rita vota, ad Collegium Sancti Andree (nunc à Sancta Theresia cognominatum) quod familia Patrum de Observantia Salmanticæ habet, studiorum causa destinatur, vbi cum Theologiæ, tum virtuti ita operam impendit, vt quamuis in illa plurimum proficeret, in hac tamen maximè emineret. Iam inde ab emissæ professionis tempore facultatem à Prælati obtinuerat seruandi rigorem regulæ nostræ primitiæ, præferentis continuam à carnibus abstinentiam, protrahentem ad octo ferè menses ieiunium, assiduam orationem, silentium, cellæ recessum, arctissimamque paupertatem, cæteraque omnia quæ præfata regulæ legibus continentur, cuius rigor talis est, vt obseruati impossibilis quondam sit æstimatus. Verùm Ioanni nostro hæc pauca visa sunt & parua, vnde alia plura & maiora addidit supererogationis exercitia, vt in decursu patebit. Porro ad ea præstanda, nõ vulgaria Deus illi conferebat auxilia & gratias. Singulare fuit quod Primitias celebranti contulit, infantilem nempe puritatem atque innocentiam, & instar Apostolorum, in gratia confirmationem, quemadmodum persona eminentissimi spiritus Deo reuelante cognouit: quapropter S. M. N. Theresia dicere solebat, *Patrem Fr. Ioannem à Cruce annumerandum inter puriores ac sanctiores animas, quas Deus Optimus Maximus in sua Ecclesia haberet, & cui ingentes lucis puritatis, & celestis sapientia thesauros infudisset.*

§. IV.